

der Römischen Keyserlichen Majestät Commissarien und verordnete Reuisores, daß Cammer = Richter und Besizer beschehener Einred unverhindert, den ausgeschriebenen und denunciirten Reuisionen statt zugeben schuldig, doch ihnen ihre gebührende Exceptiones unbenommen, sondern hiermit vorbehaltende. Sed de his exceptionibus et caeteris similibus suo loco tractabitur.

## §. XVII.

Aduersarius vel is contra quem hoc remedium adhibetur, est ille, qui in iudicio Camerali per sententiam victor extitit. Ergo non statim de victoria sibi gratulari debet qui ex voto sententiam in Camera reportauit, praesto enim est Reuisionis remedium, quod et in multis executionem suspendit et saepe sententiam priorem reformat: Laudabile quidem et iuridicum plane beneficium, sed vtinam non tam opportunum refractoriorum remedium, quo hoc Imperii statu optima saepe causa protrahitur et tantum non omnis iustitia eluditur.

## §. XVIII.

Caeterum in Reuisione Actoris vicem sustinet, qui Reuisionem petit, Rei contra quem petitur. Sed cum naturalis causae origo potior esse debeat quam accidentalis, qualis est Reuisionis, dicendum videtur, manere Actorem qui fuit in causa principali et vice versa Reum *arg. l. 3. pr. ff. de Tutelis.*

## §. XIX.

Hic vero qui in Camera per sententiam victor extitit, etiamsi in iudicio Reuisorio succumbat, ab expensis tamen super puncto Reuisorio factis absoluendus est, per ea quae late tractat *LVD. BEND. conclus. 9. n. 16. et seq.*

## C A P. IV.

## D E

O B I E C T O, S E V M A T E R I A  
C I R C A Q V A M.

## §. I.

**O**biectum vel formaliter vel materialiter considerari potest: Ad illud refero ipsam sententiam Cameralem, sine dolo  
quidem